DE FEVDO AD HEREDES FEVDALES NON TRANSEVNTE

PRAESIDE

IO. LVDOVICO VHLIO, D.
IVRIS PVBLICI PROFESS. PVBL. ORD.
FACVLTAT. IVRID. ADSESS.

A. D. XVI. OCTOBR. CIƆIƆCCLVI.

DISPVTABIT

AVCTOR

HENRICVS OTTO SCHMIDT,
BEROLINAS.





FRANCOFVRTI AD VIADRVM
TYP. IO. CHRIST. WINTERI, ACAD. REG. TYP.
CIƆIƆCCLVI.





PATRIBVS CONSCRIPTIS
MAGISTRATVS BEROLINENSIS

PERILLVSTRI

PRAESIDI

EXCELLENTISSIMIS

CONSVLIBVS

CONSVLTISSIMIS

SYNDICIS

MERITISSIMIS

SENATORIBVS

SPECTATISSIMIS

DOMINIS SVIS DEVENERANDIS

VT ET

IVDICIO CIVITATENSI
BEROLINENSI

PERILLVSTRI AC GENEROSISSIMO

PRAESIDI

EXCELLENTISSIMIS AMPLISSIMISQVE

IVDICIBVS

NOBILISSIMIS ET SPECTATISSIMIS

ASSESSORIBVS

CAETERISQVE

PATRIBVS CIVITATIS OPTIMIS

PATRONIS ATQVE FAVTORIBVS SVIS

AETATEM COLENDIS

D. D. D.

AVCTOR.



Quantum ſit in publicum prodire, pagellaſque quaſdam primum orbis litterarii ſcrutinio offerre, nulli profecto penitius iudicare, nullique felicius determinare poterunt, quam quorum humeris ſalus reipublicae optime ſuſtinetur, qui, publice prudenter agere, indefeſſo ſibi parare labore poſſunt. Prouti res eſt, iſtius dignitatem intelligunt et grauitatem, quo tamen perpendendo periculum uirium faciendum eſſe tutiſſimi exiſtimant. Vltra uires neminem obligari aequiſſimi ſunt arbitri. Id eſt VIRI,

quod VESTRA *dignissima meae dissertationi proposuerim nomina. Nihil conscribendo certe habui, quo eam potuissem aliquantisper* VESTRO *conspectui digniorem reddere. Nullus dicendi nitor, nulla elegantiarum farrago, nullum rerum pondus; quae omnia sane haud multum adsensus nec eidem parare nec conferre possunt; eam commendant. Quod scio. Quid autem faciendum? quum nullus pruritus scribendi, sed ingenuus quidam ardor, nec prorsus tempus studiis academicis dicatum frustra peregisse, calcar stimulumque subdiderit, specimen in uulgus mittere. Ad* VOS *igitur tamquam ad sacram anchoram erat peruolandum; si dissertatiunculae aliquale pretium parare in animo constituissem.* VESTRA NOMINA *fronti dissertationis adposui, et omnes hocce eximio splendore pagellae illico coruscant. Nullius nunc momi liuorem expecto, sub* VESTRIS *clypeis tutus. Omnium obsibilantium minas telaque ita excipiam, quo me neutiquam feriant. Quibus nec uolupe erit, mecum consentire, dissentiant. Aequo animo certe omnium reluctationes, qualescunque sint, ferre audebo, si tantum pagellas, quas legitis* VOBIS, *nec prorsus*

ſus diſplicere contingeret. VESTRO *enim iudicio limato,* VESTRAQVE *propenſione tantum dignitatis, ponderis, atque elegantiae diſſertationi adcreſcit, ut nec aduerſarii quidquam habeant, quod obiicere poſſint. Video iam iam meos aequiſſimos iudices. Felicitas iam dudum mihi contigit,* VOS *meos meique* PATRIS *Patronos fautores demiſſiſſime ſalutare. Gratus memini, quanta, qualia que* PATRI *meo et mihi, beneuolentia inuſitata atque plane ſingulari obuenerunt. Patronus cauſſarum, lites prope innumeras in iudicio perorauit,* VESTRAQVE *deciſione exoptatiſſima finem eſt conſecutus. Laetus ſemper* VOS *iudices cognouit pariter atque habuit iuſtiſſimos probiſſimoſque. Numne et ego eamdem mihi ſortem pollicerer? Numne et ego* VOS *iudices cauſſa in controuerſa cognoſcerem aequiſſimos? Innata* VESTRA *animi propenſio ſaltim id confidere iubet, nec ſinit, quo flexo poplite* VOS, *ut pagellas haſce aequi bonique conſulatis, obſecrarem. Accipite ergo, qua ſoliti eſtis, obſeruantia, quas offero, paginas, et meis ſtudiis fauere* gratioſiſſime *annuatis. Ego ſemper ſummum, quod omnia moderatur Numen*

caſtis


castis quotidie precibus compellam, quo VOS, *fulcra iustitiae, Regi, Patriae, et splendidissimis familiis quam diutissime seruet incolumes. Adsit* clementissime *arduis negotiis, omniaque coepta secundet. Qualiacunque ut in compendio dicam, omnigenae beatitudinis* VOBIS *iterum iterumque adprecans,* VESTRO *fauori in posterum me commendo.*

Daban in alma Viadrina die XVII Calendar. Nouembris

CIƆIƆCCLVI.



DISSER-



DE

FEVDO AD HEREDES FEVDALES HAVD TRANSEVNTE.

§. I.

PROPOSITI DECLARATIO ET COMMENDATIO THEMATIS.

Certandum eſt: belli inter ſtrepitus armorumque fragorem minime exagitari, placidaque mente uiuere Pruſſico ſubdito haud conuenit. Regis enim ad exemplum totus componitur orbis. Agedum diſceptemus. Feudum ſit certaminis obiectum! Quid enim facilius, rebus ſic ſtantibus in mentem uenire poterat. Securitatis bellique cauſſa potiſſimum feuda introducta fuiſſe, omnes fatentur. Quo etenim abituri, nullum patriae aliquantiſper pro uiri-

A bus

bus comparandi, commodius argumentum eligere potuimus, quam quod in praxi tot tricis eſt inuolutum, cuiuſque deſuper grauitas ob quotidianas exinde contentiones neminem fugit. Praeterea iuris patriae ratio, ut magis magiſque, noſtrum quid et quale ſit ius, experiamur, poſtulat; quid quod patrios cognoſcere mores Iuriſconſulti Germani officii eſſe, arbitramur. Aſtronomi alias, caeli plagas qui ad amuſſim norunt, qui iſtius obſeruationibus omne tempus impendunt, totique ſunt in determinandis ſtellis etiam decimi ulterioriſque ordinis, minime tamen uias ſuae urbis notiſſimas addiſcere contendentes: uix qui aedium ſuarum peribolos cognoſcere umquam cogitauere. Quales hi erunt? Riſum teneatis amici. Ex quo prono deinde alueo uariae ICtorum partim ridiculae, partim contra omnia iuris principia conceptae opiniones euenerunt. Quid igitur mirum, ſi ſucceſſionis feudalis materia diuerſimode et inuita Minerua definita inueniatur. Nulla me hercle iuris in parte me ſciente iuris prudentiae periti magis diſſentiunt, nulla inquam in materia magis Doctores, quam in tractanda feudi ſucceſſione in diuerſas abeunt ſententias. Quam ob cauſſam partem ſucceſſionis in meliorem ordinem redigere, certis determinatiſque principiis ſuperſtruere, uſuique practico magis concinniorem reddere, conſtituimus. Vberiori thematis commendatione ſuperſedentes, quum res ipſa loquatur, ad iſtius pertractationem uiam nobis iam iam aperiamus.

§. II.

§. II.

FEVDI DEFINITIO.

Ante igitur rem aggredi quam incipiam, generaliora quaedam adhuc praemonenda explicandaque autumamus. Quo autem ordine procedamus, successionis feudalis materiam tractaturi ante omnia feudi exactam definitionem dare, eo magis operae pretium uidetur, quo definiendo omnes fere doctores plus aequo partim addendo partim deducendo, et sic, ut in compendio dicam, tum excessu, tum defectu, peccent. Legi hac de re merentur Struuius in *Iuris prud. feud. cap.* 2. §. 2. 3. Senckenberg. in *Lineis prim. iur. feud. part. II. cap.* 7. §. 140. addita ubique epicrisi, et ill. Mascou. in *Iur. feud. cap.* 2. §. 6. *not.* * Ast, quum diuersis ex rationibus nec in horum ire sententiam a me impetrare potuerim, mihi feudum obiectiue sumtum erit res adquisita sub lege mutuae fidelitatis singularis. Fidelitas uero consistit in conatu ad auertendum damnum status externi. Otiosa hinc erit quaestio, an uasallus salutem domini aeternam promouere teneatur? Dissent. Wolff. in *Iur. nat.* §. 735.

§. III.

VINDICATIO DEFINITIONIS.

Diximus §. *praeced.* feudum esse rem adquisitam; et, ni fallor, iure meritoque. In hoc discedimus ab iis, qui pro genere traditionem adsumunt, ea potissimum ratione ducti, quod et spes alicui in feudum concedi queat. Pari ex ratione uocabulo *rei* usi su-

mus, quoniam ſub illo tam res corporales, quam incorporales ſeu iura comprehenduntur. Denique pro differentia ſpecifica addidimus: *ſub lege mutuae fidelitatis ſingularis.* Hicce enim reſpectus feudi adquiſitionem ab allodiali communione ſatis uniceque diſpeſcit, atque uerum feudi crinomenon conſtituit. Mutuam requirimus fidelitatem, licet alii uaſallum tantummodo ad eamdem obſtrictum eſſe arbitrentur. Eos uero opinione ſua falli, clariſſimi loquuntur textus 2. *Feud.* 6. *in fin.* 2. *Feud.* 26. §. 22. 2. *Feud.* 47. 2. *Feud.* 52. §. 3. Vberius hoc poſt alios deduxit Gundling. in *Gundlingianis part. XXXXII. obſ.* 1.

§. IIII.

SVCCESSIONIS DEFINITIO.

Feudi definitionem ſuperſtructam cum contra omnem uindicauerimus iniuriam, adhuc nobis explicanda ſucceſſio manet feudalis. Succeſſionem igitur adpellamus modum adquirendi deriuatiuum, quo feudum defuncto poſſeſſore in alium tamquam heredem feudalem deuoluitur. Magis nobis haec definitio Wolfiana arridet, quam aliorum, qui ſucceſſionem feudalem definiunt modum adquirendi feudi deriuatiuum, quo feudum iam ante conſtitutum ad alium deuoluitur. Quum uero haec definitio minime definitum exhauriat, praetereaque manca nimiſque generalis ſit, adeo, ut et de inueſtitura, quae fit u. c. ſimultanee inueſtitis, poſſit intelligi: neceſſario addendum uidebatur, *tamquam heredem feudalem.* Heredem uero feudalem maſculum legitime a primo feudum

dum adquirente descendentem, et ad seruitia habilem uocamus.

§. V.

DIVISIO IN LIBEROS ET ADGNATOS. SIMVLTANEE INVESTITI NVM IVRE SVCCESSIONIS FEVDA ADQVIRANT?

Quum igitur neminem feudum posse adquirere, nisi inuestitura ac successione, 2. *Feud.* 1. §. 1. dicatur, successores autem ratione duplici, uel tamquam liberi, uel adgnati possint considerari: facile patet, tam hos, quam illos in feuda succedere. §. 3. Numne uero et simultanee inuestiti feudum successione adquirunt? Quaestio certe Domitiana, quam tamen a nonnullis artis nostrae doctoribus obmotam miraberis. Quibus tamen uolupe erit, et de hac responsionem capessere, adeant §. *praec.* quae statim dubitantes de negatiua conuincet, modo sic rationes subducant: cui non competit definitio, nec ei competere potest definitum. Simultanee inuestitus non est successor feudalis: hinc non iure successionis, sed ui simultanee inuestiturae feudi fit possessor.

§. VI.

REG. I. MASCVLI SOLVM SVCCEDVNT.

Quae cum ita sint, neminem scilicet, nisi liberos aut adgnatos, §. 5. et quidem habiles, §. 4. per successionem feudum obtinere posse: non abs re erit, regulas quasdam formare, quarum prima haec esto: *Masculi, si originem spectes, soli succedunt.* Ne uero

 gratis

gratis haec dixisse uideamur: dabimus operam, ut huius non minus, quam insequentium regularum, ratio cuilibet constet.

§. VII.

PRIORIS REGVLAE PROBATIO.

Originem feudorum si paullo adcuratius perspicere uelimus, nemo, uti opinor, dubitabit, ob seruitia militaria primario feuda introducta fuisse, id quod et historiae loquuntur, et compilatores iuris Longobardici feudalis 1. *Feud.* 8. §. 2. *et* 1. *Feud.* 24. testantur. Conf. ill. Mascou. in *Iur. feud. cap.* 1. §. 5. 12. *et cap.* 4. §. 13. Quod si est, inde quoque facile elicies, masculos, militare aptos, minime uero feminas in aciem fuisse deductas * Duplici uero ex caussa feuda introducta fuisse, tradunt eius aeui scriptores, tum ob insufficientiam aeris signati, tum ut his beneficiis ornati fortius pugnarent, quorum sic quam maxime intererat, terram illam uel prouinciam remanere domino directo. Conf. cel. Estor in *Obseru. feud. n.* 14. et, qui commentarii loco esse poterit, Burius in *Schiltero illustrato, pag.* 365. Altera ad hanc ratio accedit, conseruatio nimirum familiarum. Quodsi est, ut est, nemo temere negabit, masculorum, minime feminarum, fuisse successionem. Pedetentim uero et alias constituendorum feudorum accessisse rationes, facile largimur, idque praeter alios ostenderunt hilarioris famae ICti Thomas. in *Diss. de orig. feudor.* §. 13. Hertius in *Differt. de feudis oblatis, part. I.* §. 4. *sqq.* et Gebauerus in *Animaduers. ad Schilter. Instit. iur. feud. cap.* 2. §. 1. *schol. a.*

* Vide-

* Videlicet quam certissimi de sua fortitudine Tacito monente *de moribus Germ. cap.* 15. uerbis: *fortissimus quisque bellicosissimus nihil agens, delegata domus, et Penatium, et agrorum cura feminis* - - - Nec est, quod Tacitum Tacito opponi iure posse metuamus, cum de moribus Germ. paullo post dicit, *acies quasdam inclinatas iam et labentes a feminis restitutas*. Contextus enim uerborum facile dubium forte obortum soluet. Grauius uero forte dubium inde obmoueri poterit, quod ubique Germanorum feminae castra sint secutae, cum dotis datio id abunde testificetur, istiusque ritus significet. Boues et frenatum equum, et scutum cum framea gladioque marito adferebant. Munera profecto, quae uix ac ne uix quidem exspectaueris. Quid enim feminae equus frenatus? Quid scutum cum framea? numne arcanum sub ficta donatione latitat? Explicat id notanter Tacitus *cap.* 18. uerbis: *ne se mulier extra uirtutum cogitationes, extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, uenire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in praelio passuram.* Speciosissimum sane pro uirtute bellica heroum feminarum Germ. argumentum, qui tamen color euanescet, si perpenderis, mulierem sic se periculorum mariti sociam declarare uoluisse, minime commilitonem.

§. VIII.

REG. II. SERVITIA IMMEDIATE SVNT PRAESTANDA.

Quum igitur ex §. *praec.* militarium seruitiorum caussa primario feuda introducta fuisse pateat: altera regula facillime excogitari poterit: *Seruitia*

sci-

ſcilicet *immediata eſſe praeſtanda.* Quoniam ſecundum prima iuris principia aliud pro alio inuito altero obtrudi nequit, *l.* 2. §. 1. *D. de reb. cred.* ſimili ex ratione dominus inuitis uaſallis pecuniam loco ſeruitiorum exigere non poterit, niſi urgente ſumma neceſſitate, Roſenthal. *de feud. cap.* 8. *concluſ.* 27. uel ſi conſentiat uaſallus, quippe qui iuri ſuo renuntiare poteſt. Accedit et haec ratio, quod perſonae induſtria a domino ſit electa: id uero factum eſſe uel inde patet, quod dominus alias non hunc, uerum alium, ſibi optaſſet uaſallum. Ergo nec dominus inuitus alium ad praeſtanda ſeruitia admittere tenetur. 2. *Feud.* 26. §. 12. 2. *Feud.* 55. §. 1. *Ius feud. Alam. cap.* 27. et *Ius feud. Sax. cap.* 46. Conf. Wolfius in *Elem. iur. feud. cap.* 13. §. 9.

§. VIIII.

REG. III. SVCCEDVNT SOLI DESCENDENTES, IIQVE MASCVLI.

Varias eſſe conſtitutorum feudorum fines, interque eos conſeruationem familiarum, paullo ante monuimus. Quum uero per deſcendentes maſculos, non feminas, prorogentur familiae atque conſeruentur: quilibet uidet, *deſcendentes ſolos, eoſque maſculos, in feudum ſuccedere.* Finem qui uult, media neceſſario quoque uelle debebit, ſine quibus ille obtineri non poterit. Iam quum conſeruationem etiam familiarum intenderint conſtituentes feuda et per deſcendentes is finis obtineatur: etiam ſic ueritas regulae deduci poterit. Conf. 1. *Feud.* 1. §. 1. 2. *Feud.* 23. et 2. *Feud.* 50.

Ne-

Neque alicuius momenti eſt, quod ab aliis obiicitur, praeter deſcendentes ſuccedere quoque adſcendentes atque collaterales. Hi enim in defectu deſcendentium ultimi poſſeſſoris non aliter ſuccedunt, niſi a primo adquirente originem trahant; ſic uero etiam erunt diſcendentes, non quidem ultimi poſſeſſoris, uerum primi adquirentis. Conf. Horn. in *Iuris prud. feud. cap.* 15. §. 2.

§. X.

NON TAMEN OMNES, VERVM NATI EX LEGITIMO MATRIMONIO.

Ex iure Romano ſupponimus, illegitimos liberos ſequi conditionem matris. Feminae familiam non conſeruant, quam tamen conſeruationem inter fines feuda adquirentium retulimus. Legitimi ergo filii tantummodo erunt admittendi, et quidem nati ex matrimonio aequali. Nec ſufficit, filium per ſubſequens matrimonium eſſe legitimatum, quum tamen alias talis pro legitime nato habeatur: clara enim ſunt uerba diſpoſitiua 2. *Feud.* 26. §. 10. *naturales filii, licet poſtea fiant legitimi, ad ſucceſſionem feudi nec ſoli, nec cum aliis admittuntur.* Vberius hoc demonſtrauit ill. Bauerus in *Diſſ. de ſucceſſione legitimorum per nuptias, exſule in feudis.*

§. XI.

QVINAM ERGO SECVNDVM TRADITAS REGVLAS HAVD SVCCEDANT.

Facile iam erit diiudicare, quinam e contrario ad ſucceſſionem non admittantur; quo referimus *clericos,* 2. *Feud.* 21. 2. *Feud.* 26. §. 5. 2. *Feud.* 30. §. 1.

feminas, 2. *Feud.* 11. *pr. et* §. 1. 2. *Feud.* 36. cet. *Ius feud. Alam. cap.* 1. §. 2. *cap.* 3. §. 1. *et* 4. *Ius feud. Sax. cap.* 2. *masculi*, qui ob defectum animi uel corporis ad seruitia praestanda non sunt apti, uti sunt furiosi, mente capti, muti, surdi, caeci, 2. *Feud.* 36. *adscendentes* et *collaterales*, qua tales, *natusales*, 2. *Feud.* 26. §. 8. denique *spurii*, *adulterini*, atque *incestuosi.*

§. XII.

TRANSITVS AD THEMA DISSERTATIONIS.

Praemissis sic generalioribus, quae ad thema nostrum explicandum facere uidebantur, iam ad ipsum thema accedimus. Et determinandum iam erit, quinam successionis feudalis sint capaces, quiue contra ab eadem excludantur: quod eo facilius fieri poterit, si conferamus §. 7. *sqq.* ii enim, qui requisitis §. 7. 8. 9. instructi, *regulariter* succedunt, quum contra §. 11. memorati, tamquam inhabiles, arceantur a successione. Dum uero diximus, *regulariter* eos tantum succedere, qui requisitis illis sint instructi, simul etiam exceptiones a regulis succedendi dari, sumus fassi, quae tantum abest, ut regulas illas euertant, ut potius easdem in casibus non exceptis magis magisque corroborent atque confirment. Sicuti uero alias praeter regulas exceptiones quoque ab iisdem addiscendae sunt scientiarum cultoribus, ita et hic procedendum esse nobis uidetur. Regulae illae succedendi partim in superioribus adductae, partim e libellis artis nostrae elementaribus peti sine negotio possunt: dabimus ergo operam, ut casus praecipuos, quibus a regulis illis receditur, recenseamus paullo diligen-

diligentius. Ad duo uero capita reduci commode possunt illae exceptiones: uel enim 1) *successores feudales a successione feudi excluduntur*, uel 2) *feuda ad alios, quam successores feudales, perueniunt.*

§. XIII.

FILII EXCLVDVNTVR VEL IN TOTVM,

Ad prius caput superiore paragrapho positum, quod nempe successores feudales nonnumquam a successione feudi excludantur, merito referimus, si quando filii uel in totum, uel pro parte arceantur ab illa successione. Quod ut melius pateat, quid initio obtinuerit, uidendum. Fuere uero feuda tum precaria, ceu patet ex 1. *Feud.* 1. *antiquissimo tempore sic erat in dominorum potestate connexum, ut, quando uellent, possent auferre rem in feudum a se datam,* Nec iniquitatis hic quid deprehendimus. Vasallo, modo ne intempestiue id faciat, refutare feudum licet: quum uero uasallus atque dominus ad paria teneantur, dominus, si pari libertate forte esset usus, omnem iniquitatis effugiet notam.

Pergit feudista *c. l. postea uero eo uentum est, ut per annum tantum firmitatem haberent.* Fabulis quidem adnumerandam esse hanc feudistae adsertionem uel ideo scribit b. Wolfius in *Elem. iur. feud. cap.* 10. §. 1. quod eam genuina historiarum monumenta prorsus ignorent: uerum uindicias parauit ingeniosissimus atque doctissimus Hommel. in *Oblectam. iur. feud. obseru.* 13. *pag.* 82. *seqq.* illumque morem adhuc hodie in coenobio Herbipolensi, cui nomen *Neu-Münster*, superesse, ex ill. Buderi *Amoenit. iur. feud. obs.* 7. obseruat.

Deinde ſtatutum eſt, ut uſque ad uitam fidelis produceretur. Etiam hic conferenda, quae poſt alios in medium protulit laud. Hommel. *l. c. pag.* 83. Gundlingio tamen in *Gundlingian. part. XV. pag.* 418. improbabile hoc uiſum, ceu ex eiuſdem uerbis patet, quae iam ponimus: *daſs die gemeine militariſche Lehen abſolute nur auf Lebenszeit verliehen worden, iſt deshalb unwahrſcheinlich, weil ſich nicht leicht jemand würde gefunden haben, dergleichen Güter rechtſchaffen zu cultiviren, wenn ſie wiederum hätten ad Fiſcum kommen ſollen.* Leuis dubitandi ratio, neque ulla argumento uis ineſſe uidetur. Quae enim probabilitatis ratio eſſe poterit, ſi ueritas contrarii iam adſit. Et quis, quaeſo, ſic ratiocinari uellet: quicumque rem in perpetuum cum ſuis poſteris habere nequit, is eamdem neque appetit, neque reddit meliorem. Atqui - - Ergo - -. Sane emphyteuticarius, cui res uel ad certum tempus, uel etiam ad dies uitae in emphyteuſin eſt data, rem illam meliorem reddere tenetur; locator, ſi prudentis patris familias officio fungi uelit, rem locatam itidem meliorem reddit. Vterque rem appetit, quam ad tempus tantum modo conſtitutum, non in perpetuum, retinere poteſt. Plura adhuc Gundlingianae huic ſententiae obuerti poſſent, ni ab aliis, ſpeciatim uero Budero loco paullo ante allegato, iam iam eſſent occupata. Immo Schannatus in *Clientel. Fuldenſ. part. I. cap.* 2. *pag.* 4. oſtendit, anno adhuc 1048. pactis opus fuiſſe ad beneficia in filios transferenda. Plura non addimus: ex adductis enim ſatis adparere arbitramur, filios ſatis diu a ſucceſſione in feuda in totum fuiſſe excluſos, qui tamen ſecundum ſuperius dicta omnino ſunt heredes feudales ordinarii.

§. XIIII.

§. XIIII.

VEL PRO PARTE TANTVM.

Etiam hoc factum fuisse olim, dubitare nos haud sinit compilator consuetudinum feudalium 1. *Feud.* 1. §. 1. dum in enarranda historia successionis sic pergit: *sed cum hoc iure successionis ad filios non pertineret: sic progressum est, ut ad filios deueniret, in quem scilicet dominus hoc uellet beneficium confirmare;* ad quem locum conferendus iterum Hommel. *l. c. pag.* 84. *periodo* 4. Idem fere de iis feudis, in quibus ius primogeniturae introductum, dicendum uidetur, quum secundum regulam feudum ad omnes simul uenire deberet, teste feudista *l. c.* uerbis: *quod hodie ita stabilitum est, ut ad omnes aequaliter ueniat.* Conf. Titius in *Iur. feud. cap.* 21. §. 30. et laudat. Hommel. *l. c. period.* 6. *pag.* 84. *sqq.* Nec minus huc referendum feudum tutelare, quod olim aeque, ac pupillus ipse, in domini potestate erat tamdiu, donec pupillus tutela exiret, nisi forte mater uel adgnati in gratiam puerorum uasallorum illud redemerint. Conf. *Ius feud. Alam. cap.* 55. et *Sax. cap.* 26. Lunig. in *Corp. iur. feud. Germ. tom. I. pag.* 291. *sequ.* ill. Buder. in *Amoenit. iur. feud. obs.* 21. Mascou. *de iur. feud. cap.* 5. §. 2. *sqq.* ne iam de reliquis dicamus, qui in exponenda hac materia cum laude fuere uersati.

§. XV.

ADGNATI NON SVCCEDVNT.

Etiam hi saepius a successione in feudum excluduntur, 1) si a primo adquirente non descendunt, nisi

mores contrarii sint. Tale quid de Zutphaniae feudis e Sandio obseruat b. Wolf. in *Elem. iur. feud. cap.* 11. §. 2. *not. e. pag.* 268. Idem in Franconia obtinere, uulgo statuunt, seducti testimonio Demarathi, quem plerumque in partes uocant, Wolf. *l. c.* Ludewig. in *Diss. de feudorum German. et Langobard. different. cap.* 20. alii: contradixere tamen semper curiae feudales, nuperque iu Academia Bambergensi ex instituto contrarium asseruit Philippus Fridericus Breglerus in Diss. sub praesidio Adami Reizeri Bambergae 1753. habita *de collaterali, qui a primo adquirente non descendit, aut inuestitura simultanea non gaudet, in feudo siue dato siue oblato non succedente.* 2) Si feudum uasallo ad certum quoddam tempus fuerit concessum: eo enim elapso feudum ad dominum redit. Vid. ill. Buder. in *Amoenit. iur. feud. obs.* 7. 3) Si simultaneae inuestiturac adiecta clausula, *nach reohter Sipp-Zahl;* tunc enim non omnes adgnati simul succedunt, uerum secundum proximitatem gradus. Conf. Titius in *Iur. feud. Germ. cap.* 22. §. 8.

§. XVI.

VTRIQVE PER PACTA QVOQVE EXCLVDVNTVR.

Quum pacta legem contractui dent, *l.* 48. *D. de reg. iur.* feudum uero contractum supponat: facile patet, et naturam feudi per pacta adiecta mutari posse. Quodsi ergo feudum sibi tantum, non uero descendentibus, adquisiuerit primus adquirens, idque factum

factum esse, pacta adiecta clare loquantur: feudum sine dubio, exclusis filiis atque adgnatis, ad dominum recidet. Eiusmodi pactis non solum in feudis datis, uerum etiam oblatis, locus est; multoque magis in feudis poenae, de quibus nuper exposuere uiri doct. Godofr. Dan. Hofmannus atque Ern. Mart. Chladenius. Idem quoque dicendum, si uasallus matrimonium contraxerit ad morganaticam, 2. *Feud.* 29. Titius *l. c. cap.* 29. §. 39. neque obstare locum 2. *Feud.* 26. §. 15. iam uidit Ge. Ad. Struuius in *Syntagm. iur. feud. cap.* 9. §. 5. *n.* 9. Sicuti uero per pacta adiecta a successione excludi possunt, qui alias in feudum successuri essent: ita e contrario pacta talia efficere possunt, ut succedant alias inhabiles supra §. 11. recensiti. De feminis conf. Hornius in *Iurisprud. feud. cap.* 15. §. 6. Exempla uero tam de feudis datis, quam oblatis, suppeditat perill. de Gudenus in *Cod. diplomat. tom. I. pag.* 205. *tom. II. diplom.* 49. *pag.* 74. *pag.* 1094. cet. Immo Sigfridus, archiepiscopus Moguntinus, in diplomate, quod exhibet idem Gudenus *tom. I. pag.* 114. uasallis permittit, ut feuda sine consensu archiepiscopi, ceu domini directi, possint in coenobia transferre, adiecta satis lepida atque inficeta ratione: *magis enim acceptum Deo iudicaui, ut bona nostra seruirent Deo militantibus, quam militantibus saeculi uanitatibus.*

Idem dicendum uidetur de feudis imperii, nisi restrictio quaedam adpareat. Exempla eius modi pactorum idem suppeditat Gudenus *Cod. diplom. tom. II. pag.* 964. de a. 1672. et *pag.* 990. *sequ.* de a. 1307.

§. XVII.

§. XVII.

ETIAM PRAESCRIPTIONE IVS SVCCEDENDI IN FEVDA AMITTI.

Sicuti alias praeſcriptio, ſi iuſta fuerit, tutum praeſtare poteſt reum, ſi per modum exceptionis eamdem actori opponat: ita mirum non eſt, et in hac iuris prudentiae parte eidem locum eſſe. Ponere primum liceat *praeſcriptionis feudalis* definitionem, quam ſuppeditat Wolfius in *Elem. iur. feud. cap.* 9. §. 1. eſſe ſcilicet eius modi praeſcriptionis ſpeciem, qua nexus feudalis uel conſtituatur, uel diſſoluatur, uel etiam uerum feudum aduerſus uerum uaſallum ut feudum ab eo, qui ſe uaſallum credidit, ſit acquiſitum. Tres haec definitio continet praeſcriptionis ſpecies, quas enarrat Roſenthal. in *Synopſi iuris feud. cap.* 6. *concluſ.* 77. et ipſa definitionis uerba ultro ſuppeditant. De ultima ſpecie, quando quis aduerſus uaſallum, eiuſue heredes, feudum praeſcribit, iam loquimur: quibus uero caſibus id contingere poſſit, exponit b. Wolfius in *Elem. iur. feud. cap.* 16. §. 3. Conf. poterunt Zollii *Diſſ. de praeſcriptione feudali contra dominum directum atque utilem*, Wolfio iam iam laudata, Bruckneri *Diſſ. de feudo informi, inprimis praeſcriptione quaeſito*, quam *Theſ. iur. feud. tom. II. pag.* 799. *ſqq.* inſeruit Ienichenius, aliique. Add. doctiſſ. Platneri *Proluſio de iure in feudum ante inueſtituram praeſcriptione quaeſito*, Lipſiae 1752. publici iuris facta.

§. XVIII.

§. XVIII.

OB FELONIAM IVS SVCCEDENDI INTERVERTI.

Ob feloniam commiſſam feudo priuari uaſallum, niſi poena remittatur, tamquam cuiuis notum ſupponimus, nullaque probatione indigere arbitramur. Definiunt autem *feloniam* fidei feudalis uiolationem; quae ideo delictum efficit.

Non iam erimus occupati in uariis ſpeciebus feloniae recenſendis, qui labor ipſi Oberto de Orto fere impoſſibilis fuit uiſus 2. *Feud.* 23. *pr.* quaedam tamen in iure noſtro recenſentur cauſſae, ſecundum quas iudex ſollers atque diſcretus, et aequitati obſecundare ſollicitus, cuncta ſubtiliter diſpenſans prouideat, ſi qua fuerit antiquioribus cauſſis ſimilis ſeu maior; ut proinde ſciat, utrum beneficium amittendum, an nihilo minus retinendum, eodem Oberto praecipiente 2. *Feud.* 24. §. 9.

Duplici uero modo felonia committitur, uel *immediate* in ipſam domini perſonam, uel *mediate*, peccando in eius uxorem, filiam, ſororem cet. prouti latius explicat Wolf. in *Elem. iur. feud. cap.* 16. §. 9. *ſequ.*

Ob delictum ergo uaſalli contra fidem et officia domino debita admiſſum, feudum domino aperitur, 2. *Feud.* 24. §. 11. *ſequ.* niſi feudum filiorum intuitu ſit conceſſum. Sic uero ob alienum delictum feudo etiam priuantur liberi, quum tamen delicta ſuos tantum auctores debeant tenere, *l.* 22. *C. de poen. l.* 26.

D. eod.? Meretur ſane res, ut eidem aliquantiſper immoremur. Verum omnino eſt, ſucceſſores feudales non ob propriam ſolum, uerum etiam ob alterius feloniam feudum perdere: neque tamen heredes alias ſucceſſuri in infinitum excluduntur, uerum certum hac in re modum ſeruant leges noſtrae feudales, diſtinguendo nimirum tum *ſubiectiue* inter liberos atque adgnatos, tum *obiectiue* inter feuda noua atque antiqua. Priore caſu et liberi et adgnati ob feloniam a patre uel primo adquirente commiſſam ſucceſſione in feudum priuantur, niſi feudum intuitu filiorum ſit conceſſum, qui tunc feudum accipiunt: poſteriore contra liberi ſolum, non uero adgnati, ob feloniam a patre commiſſam, ſucceſſione priuantur, quia hi ex perſona poſſeſſoris ius ſuum poſt iſtius mortem demum conſequuntur. Quodſi ergo patris ius, dum ipſe adhuc in uiuis eſt, exſpirat, minime uideo, qua ratione liberi uel adgnati ius ſibi quoddam ſuccedendi poſſint adrogare. Longe uero aliter ſeſe res habet in feudo antiquo, cuius diuerſitatis ratio in aprico eſt, quia ſcilicet adgnati ius ſuum non ab ultimo poſſeſſore, qui feloniam commiſit, uerum a primo adquirente habent: quod ſi eſt, certe iiſdem felonia ab ultimo poſſeſſore commiſſa fraudi eſſe nequit, niſi forte ſingularis quaedam ratio adſit, qualem in liberis intuitu patris perſpicimus, qui etiam in feudo antiquo ob feloniam patris excluduntur a ſucceſſione. Fieri tamen poteſt, ut ne filius quidem a ſucceſſione remoueatur, ſi nempe pater, uiuo adhuc auo, feloniam commiſerit, atque ob hoc delictum ſucceſſione fuerit priua-

priuatus, ceu docent cum aliis Hartm. Piſtoris *lib. II. part. I. quaeſt.* 16. *num.* 33. atque Wolfius in *Elem. iur. feud. cap.* 16. §. 17. Liberis denique nullis amplius exſtantibus, adgnatorum ius reuiuiſcit, qui tunc a domino feudum, quod interim apud eum fuit, iure quodam ſuo repetunt. Vid. 2. *Feud.* 31. 2. *Feud.* 40. §. 3. 2. *Feud.* 78. Conf. Struu. in *Syntagm. iur. feud. cap.* 15. *aph.* 14. *n.* 3. Titius in *Iur. feud. Germ. cap.* 26. §. 50. *ſqq.* aliique, quos iam non excitamus.

§. XVIIII.

OB NATVRAM FEVDI.

Aliquando ob naturam feudi beneficium uel ad alios, quam ſucceſſores feudales, i. e. allodiales, peruenit, uel nullum prorſus adgnoſcit ſucceſſorem: priore caſu heredem quidem deprehendimus, minime tamen feudalem. Eius modi feuda ſunt 1) *mere hereditaria* *. Notanda hic diuiſio feudi hereditarii in *mere* uel *abſolute hereditarium*, et *hereditarium mixtum. Prius* definiunt, ad cuius ſucceſſionem omnes, qui allodialem hereditatem adquirere poſſunt, admittuntur: *poſterius* contra, quod uel quoad diſpoſitionem, uel quoad ſucceſſionem allodialem qualitatem habet. In mero hereditario omnes, qui alias hereditatis allodialis ſunt capaces, ſuccedunt: in mixto contra litterae inueſtiturae, obſeruantiaque curiae legem dabunt ſucceſſioni. In feudo ergo hereditario abſoluto et feminae ſuccedunt, immo ſine diſcrimine una cum maſculis admittuntur, Carpzou. *part. III. conſt.* 28. *def.* 13. *ſequ.* eoque faciunt diplomata, quae exhibet

de Gudenus in *Cod. diplom. tom. I. pag.* 344. *tom. II. pag.* 965. cet. in feudo autem mixto feminae quidem itidem ſuccedunt, 1. *Feud.* 1. §. 2. 1. *Feud.* 8. §. 2. 1. *Feud.* 14. §. 2. et 2. *Feud.* 11. uerum deficientibus demum maſculis, 2. *Feud.* 17. *pr.* 2. *Feud.* 30. *pr.* niſi forte aliter inter partes conuenerit, e. gr. ut uaſalli relicta uxor feudum ad dies uitae teneat ut feudum, quod exemplum habemus apud Guden. *Cod. diplom. tom. I. num.* 443. *pag.* 927. *uxor mea predicta caſtra iure feudali diebus tantum uite ſue poſſidebit.* Nec praetermittendi adoptiui, de quorum ſucceſſione ſingulari, eaque doctiſſima, Diſſertatione in ill. Fridericiana a. 1753. expoſuit clariſſ. Knorrius, in qua uarios caſus, quibus adoptiuorum ſucceſſio locum habet, §. 11. *ſqq.* recenſet.

* Habet omnino hereditarium feudum ſuos gradus, quos b. Wolfius in *Elem. iur. feud cap.* 10. §. 31. recenſet. Plures adhuc diſtinctiones apud doctores paſſim occurrunt, quas tamen ad noſtram, quam ſupra poſuimus, commode reduci poſſe, quilibet ſponte uidet. Plurimas exhibet clariſſ. Mollerus in *Lin. prim. uſus practic. diſtinct. feudal. cap.* 4. *diſt.* 14. *ſequ.* Scripta uero uaria de hiſce feudis exponentia collegit Ienichenius in *Theſ. iur. feud. tom. II. pag.* 569. *ſqq.*

§. XX.

SI LIBERA DE FEVDO TESTANDI FACVLTAS VASALLO RELICTA.

Quum in ipſa feudi conſtitutione ordo ſuccedendi determinetur uel expreſſe, uel tacite, omnis uaſal-

uasalli circa feudum dispositio per ultimam uoluntatem facta inutilis erit, 1. *Feud.* 8. *pr.* si fiat in praeiudicium eorum, qui ex prima iam iam inuestitura ius succedendi adquisiuerunt. At et hic uarii adducuntur a doctoribus casus, quibus talis dispositio ualet, 1) si uel feudum sit mere atque absolute hereditarium, uel 2) facultas disponendi a domino sit impetrata, atque consenserint ii, quorum interest, 3) singularia iura feudalia liberam de feudis testandi facultatem iam iam indulserint, quale quid de uasallis Lignicensibus, Suidnicensibus, Iauerensibus, Glogauiensibus, atque Austriae obseruat b. Wolf. in *Elem. iur. feud. cap.* 12. §. 9. *schol. m. pag.* 286. Quodsi ergo uasallis libera circa feuda testandi facultas est relicta, tunc heredibus feudalibus alias successuris non aliter ius quoddam competere potest, quam si uasallus uel intestatus moriatur, uel testamentum rite non fecerit, uel etiam eosdem heredes instituerint.

§. XXI.

QVIDSI ALIENANDI POTESTAS VASALLO CONCESSA?

Quaeritur nunc de feudo, cuius libera alienandi potestas penes uasallum est, quali priuilegio uasallos in Lusatia, Silesia, Stiria, Carinthia, alibique passim gaudere, ex Lunigio monet b. Wolf. in *Elem. iur. feud. cap.* 13. §. 56. Dispiciendum tunc erit, num uasallus priuilegio illo sit usus, nec ne. Priore casu feudum ad eum pertinebit, in quem alienatio facta:

posteriore uero feudum ad heredes feudales pertinebit.

Num uero facultate libere alienandi uasallo concessa id tantum de alienatione inter uiuos, an uero etiam mortis caussa sit intelligendum, de eo inter doctores non conuenit. Qui adfirmatiuam tuentur, tum ad generalitatem uerborum, quae etiam alienationem per ultimam uoluntatem sub se comprehendunt, *l.* 8. §. 3. *C. de secund. nupt.* tum ad fauorem ultimarum uoluntatem prouocant. Verum quum, recte monente Hornio in *Iuris prud. feud. cap.* 14. §. 4. in dubio ea interpretatio sit amplectenda, quae non nimium a natura feudorum recedit, sed potius eamdem seruat, immo tantum absit, ut apud Germanicae originis gentes tantus ultimarum uoluntatum fuerit fauor, ut potius libertatem illam testandi uariis modis restrinxerint, ceu singulari Dissertatione *de testamenti factione iure Germanico arctis limitibus passim circumscripta* docuit b. Heineccius: merito negatiuam amplectimur. Quodsi uero facultas *pro lubitu alienandi* concessa sit, utramque speciem subintelligi putamus cum Hornio *l. c.*

§. XXII.

AD HEREDES NON TRANSIT FEVDVM HABITATIONIS, CET.

Feuda dari mere personalia, quae plane non transeunt ad heredes, quales initio omnia omnino fuere feuda, supra iamiam obseruauimus. Eorum uaria

uaria genera, non, nisi noua gratia ad heredes transeuntia, tamquam notissimum supponimus. Eo interpretes referunt

1) Feudum *habitationis*, quale habemus, quoties ius habitandi sub nexu fidei feudalis alicui concessum. De eo expressam habemus dispositionem 2. *Feud.* 105. *feuda habitationum, nisi aliud specialiter cautum sit, morte accipientium finiuntur.*

2) *Feudum soldatae.* Soldata, monente feudista 2. *Feud.* 10. §. 2. dicitur, quia plerumque in solidorum donatione constitit, ibidemque definitur praestatio quaedam annua gratuita, quae a neutra parte transit ad heredem. Quamuis uero celeberrimis uiris hoc feudi genus ex eorumdem numero eliminandum esse uideatur ideo, quod merum stipendium fuerit, ipsiusque feudistae accedat auctoritas, diserte scribentis, eos, qui soldatam habuerunt, uel acceperunt, uel habent, per eam nullum pedagium, sed nec feudi usum adquirere: nobis tamen paullo aliter uidetur. Minime contendimus, soldatam semper esse feudum, id tamen adserimus, tale omnino fieri posse; nihil enim absurditatis habet, annuam talem praestationem alicui in feudum concedi. Germanice audit *Gnaden-Gelder Lehen*, ceu patet ex Lunigii *Corp. iur. feud. tom. III. pag.* 641. Quodsi ergo soldata alicui concessa sub lege fidelitatis uasalliticae, morte dantis uel accipientis interueniente finitur, teste feudista *c. l.*

3) *Feu-*

3) *Feudum de camara*, cuius mentio fit 2. *Feud.* 2. §. 1. Germanice audit *Cammer-Lehen*, *Ius feud. Alam. cap.* 102. idque consistere aiunt in reditu annuo nummario ex fisco seu camara domini. Lunig. *Corp. iur. feud. tom. III. pag.* 636. *et* 661. Wolf. *Elem. iur. feud. cap.* 18. §. 34.

4) *Feudum de cauena*, quod Schilterus in *Instit. iur. feud. cap.* 9. §. 30. potius *de caneua* scribendum putat, quamuis male, quum uocabulum sine dubio ab Italorum *caua*, quod cellam denotat, sit deducendum, recte monente Wolfio *c. l.* Hoc potius in alio, quam nummario, reditu consistere asserunt, ueluti uino, frumento, similibusque ad sustentandam uitam necessariis. Conf. Struu. *Syntagm. iur. feud. cap.* 4. *aphor.* 18. *n.* 3. ill. Mascou. *de iur. feudor. cap.* 3. §. 16. alii. Schiltero audit *Küchen*- et *Keller-Lehen.* Vid. Lunig. in *Corp. iur. feud. tom. III. pag.* 636.

5) *Feuda guardiae* et *gastaldiae* *, quorum mentio fit 1. *Feud.* 2. Prius definit Wolf. *l. c. cap.* 18. §. 29. quod eo fine datum acceptumque, ut uasallus ad certam custodiam sit obligatus: posterius uero §. 30. quod sub ea conditione est datum, ut uasallus officio gastaldi fungi teneatur.

6) *Feuda cancellariae*, *aduocatiae*, reliquaque, de quibus iam, ne dissertatio fines eidem destinatos egrediatur, agere prohibemur. Olim quoque omnia palatina atque officialia feuda huc pertinebant, in quibus uero posterior aetas uaria immutauit.

* Gastal-

* Gaſtaldia, monente ill. Maſcou. *de iur. feud. cap.* 3. §. 43. in Langobardia nomen fuit praefecturae ſiue adminiſtrationis per urbem, aut terrae tractum. Gaſtaldorum autem officium, pro temporum et principum ratione, uarium atque diuerſum. Praeter alios de his exponit Murator. in *Antiquit. Ital. med. aeu. tom. I. diſſ.* 10. *pag.* 523. *ſqq.* de feudo gaſtaldiae uero cel. Gonnius ſingulari *diſſertatione*, quam *tom. II. Theſ. iur. feud.* inſeruit Ienichenius.

§. XXIII.

NONNVMQVAM ET AD ADSCENDENTES FEVDA TRANSEVNT.

Succeſſionis feudi talem eſſe naturam, quod adſcendentes non ſuccedant, diſpoſitiuis uerbis dicitur 2. *Feud.* 50. *pr.* quia quiſque ſibi atque deſcendentibus ſuis feudum regulariter adquirit; de qua regula expoſuimus iamiam ſupra §. 9. *ſequ.* Attamen et hic uarii ſeſe exſerunt caſus, quibus feudum etiam ad adſcendentes peruenit, de quibus pluribus exponit Hornius in *Iuris prud. feud. cap.* 16. §. 3. Sic, quod ad feudum antiquum attinet, pater tale habebit feudum, ſi quidem in fauorem filii repudiauerit ſucceſſionem, hic uero ſine deſcendentibus ante patrem deceſſerit. 2. *Feud.* 14. Idem dicendum de feudo mere hereditario, immo de mixto, ſi quoad ſucceſſionem allodialem qualitatem habeat. Multo magis in feudo nouo tale quid accidere poterit, 1) ſi pacto ſingulari, uel ſimultanea inueſtitura adſcendentibus fuerit proſpectum, 2. *Feud.* 48. *pr.* 2) ſi praeſumtiue

 ſaltem

ſaltem id ſit factum, e. gr. ſi feudum nouum ſit conceſſum iure antiqui, Roſenthal. *Synopſ. iur. feud. cap.* 7. *concluſ.* 14. *n.* 20. uel ob bene merita patris filio ſit datum, hic uero improlis decedat, *arg. l.* 6. *D. de collat. l. ult. in fin. C. de uſufr.* niſi de contraria domini uoluntate conſtet. Vid. Stryck. *de ſucceſſ. ab inteſt. diſſ. I. cap.* 2. §. 6.

§. XXIIII.

EXCLVDVNTVR HEREDES FEVDALES VEL OB RENVNTIATIONEM EXPRESSAM,

Quum quilibet rerum ſuarum ſit moderator atque arbiter, *l.* 71. *D. mandat.* niſi quatenus reſtrictio adſit, quae ſemper docenda: inde facile patet, quemlibet iuri ſuo, modo ne tertii ius ſimul laedatur, ualide poſſe renuntiare. Inde porro ſequitur, quemlibet poſſe feudum, quod ab alio tenet, etiam ſine domini uoluntate, refutare, modo ne domini, uel aliorum, quorum ſpeciatim intereſt, ius laedatur, 2. *Feud.* 38. uel contractui feudali addita ſit clauſula, ne feudum refutetur. Ill. Maſcou. *de iur. feud. cap.* 14. §. 19. Vnde feudiſta dicit, fieri debere tempeſtiue, et ſine fraude. Fieri quoque debet cum conſenſu eorum, quorum intereſt, alias refutatio nulla. Immo quandoque poenae loco iniungi poteſt, quod uberius deduxit Knorr. in *Diſſ. de refutatione feudi poenae loco irrogata.* Qui feudum refutat, declarat, ſe iuri ſuo renuntiare, nec eo amplius uti uelle. Declaratio haec conſenſum requirit, qui uel expreſſus, uel tacitus, uel praeſumtus eſt: inde refutationem quoque

quoque in expressam, tacitam, atque praesumtam diuidunt. Si quis ergo declaret, se iuri suo, quod habet in feudum nondum adquisitum, renuntiare, uel feudum, quod iam habet, non amplius habere uelle, erit sine dubio expressa. Refutatio illa uel fit in fauorem domini, quo casu consolidatio contingit, *Ius feud. Alam. cap.* 5. Schilter. in *Commentar. ad h. l.* §. 3. uel in fauorem alias successuri, quo casu feudum manet antiquum, uel in fauorem tertii alias non successuri. Primo atque ultimo casu ubique feudum ad alios, quam heredes feudales, peruenit, intermedio uero feudum statim ad heredem successurum peruenit, cui alias exspectandum aliquamdiu fuisset.

§. XXV.

VEL TACITAM ET PRAESVMTAM.

Sicuti tacitus consensus numquam non ex factis concludentibus eruendus: ita et tacita resignatio tale supponit factum, ex quo per necessariam consequentiam non nisi derelictio potest suspicari. Quodsi ergo heredes feudales in alienationem feudi consenserint, ut inde debita feudalia soluantur: merito dicendum, eos tacite renunciasse iuri suo succedendi. Num uero id eo usque extendendum cum Titio in *Iure feud. cap.* 19. §. 40. ut si forte solutis debitis feudalibus pecuniae quid supersit, id ad debita allodialia soluenda possit impendi, de eo ualde ambigimus. Sic uero et hic ad alios, quam qui heredes feudales sunt, feudum peruenit.


Quod ad praesumtum denique consensum attinet, de eo alibi exponitur. Non aliter talis effectum producere poterit, nisi diserta legis dispositione nitatur: et tunc iterum feudum ad alios transibit.

§. XXVI.

CONCLVSIO.

Sic finem imponimus dissertationi, ne lectoris honoratissimi patientia abuti uelle uideamur. Recensuimus uarios casus, quibus feudum ad alios, quam feudales heredes, transit, non tamen omnes, quos olim addere forte occasio erit. Si quid humani, quod neutiquam a me alienum puto, contigerit, secundum illud Ennianum, erranti comiter monstra uiam.

TANTVM.



MON-



MONSIEVR!

Voiant approcher un jour, qui ne peut étre, que fort avantageux à la réputation, que la regularité de *Vôs* moeurs, et de *Vôs* études *Vous* a acquiſe dans cette Republique de letres, à laquelle j'ai actuellement l'honneur, d'apartenir, je ſaiſis cette occaſion avec beaucoup de plaiſir, de *Vous* feliciter de cette belle fin de *Vôs* études d' Academie. Il ne ſe peut point, que la recompenſe ne ſuiue de bien prés *Vôtre* merite, et que *Vôs* talens ne ſoient auſſi utiles à la Republique, qu'ils ont été eſtimables à tous ceux, qui ont eu la ſatisfaction de *Vous* connoitre. I'ai l'honneur d'etre de ce nombre, et trés particuliérement

MONSIEVR!

Vôtre trés humble, et trés obeiſſant ſeruiteur,

F. G. COMTE DE HACKE.

D 3 NOBI

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO DISSERTATIONIS HVIVS AVCTORI AFFINI SVO HONORATISSIMO

S. D. P.

IOHANN DAVID GRILLO, D.

SS. THEOL. PROF. PVPL. ORD.

Si in magnis uoluiſſe ſat eſt iſte certe laude quam maxime dignus cenſendus erit, qui quod praeclare uoluit, praeclare quoque praeſtitit. Hinc uehementer laetatus ſum, cum TE diſſertationis argumentum ejusmodi elegiſſe intelligerem, in quo uel ipſi Themidis Sacerdotes, ne dum ejusdem Alumni reperiunt, quo ſe exerceant. Si quae enim totius Iuris materia dificilior dicenda eſt, illa certe eſt, quae de Feudis agit; ſive enim primam eorum a veris ſuis natalibus deducendum originem ſpectes, ſiue tot diverſa eorundem genera conſideres, ſive eandem tot perplexas circa feuda inter eruditos enatas quaeſtiones atque controuerſias expendas, ubique hic difficilia admodum offendes.

Singularem proinde inſtitutum TVVM, Affinis optime, meretur laudem, quod in ejusmodi difficiliori argumento vires TVAS ipſe explorare atque inſigni hoc diligentiae TVAE ſpecimine omnibus teſtatum fauere volueris quam felices in Iuris prudentiae ſtudio, non minus, quam in elegantioribus litteris feceris progreſſus, et quid honoratiſſimi TVI Parentes, quid ipſa Patria, et quid bonus quisque de TE ſperare, imo certiſſime ſibi promittere poſſint

ac

ac debeant. Gratulatur ergo TIBI, Doctiſſime Vir Iuuenis egregio iſto TVO ſpecimine, quod ſingulari erga Parentes pietate ductus, hac potiſſimum die ideo edere uoluiſti, ut ſic tanto major atque ſollemnior hujus diei feſtiuitas redderetur. Haec enim auſpicatiſſima illa dies eſt, qua Honoratiſſimi TVI Parentes, poſt uiginti quinque in Conjugio ſuo non minus ſuauiſſime, quam feliciſſime exactos annos, Iubilaeum ſuum, ut vulgo dicitur, Gamicum minus celebrabunt, Deoque pro hoc inſigni in ſe collato beneficio immortales gratias agent.

Non potui ergo non et hoc nomine TIBI publice gratulari, honoratiſſimisque TVIS Parentibus, mihi maximopere ſemper Venerandis, non tantum illud Horatii Lib. I. Carm. Od. XIII. in mentem nunc mihi incidens accinere


Felices ter et amplius,
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Divulſus querimoniis
Suprema citius ſolvet amor die.

Sed potius ſupremum atque benigniſſimum Numen fontem atque originem omnis et inprimis hujus TIBI Tuisque Parentibus praeſtiti boni ſuppliciter precari ut hancce Conjugii ſui felicitatem Ipſis perpetuam eſſe jubeat, Teque cum Illis ſemper ſalvum incolumemque praeſtet, omnibus TVIS conatibus ſuſcipiendisque in poſterum laboribus annuat, eosque in Nominis ſui divini gloriam vergere ſinat.

Det TIBI faciles ubique locorum Patronos et quos TIBI morum elegantia iam pridem conciliaſti Fautores, ſago togaque longe celeberrimos, illos omnes multos in annos TIBI ſeruet, eorumque numerum indies augeat, ut eorum

favore

fauore adjutus tanto facilius adhibitae TVAE in studiis diligentiae fructus atque praemia laetus diu percipias. Ceterum feliciter semper cum omnibus TVIS age, meque amare perge. Scribeb. Trajecti ad Viadrum d. XVI. Oct. A. I. S. MDCCLVI.



NOBILISSIMO

SCHMIDTIO

S. P. D.

PRAESES.

Quam mihi nuper offerebas dissertationem, quum praesidium meum qualecumque tibi expeteres, iam recipis neque auctam, neque immutatam, paullo tamen coarctatam, cuius rei ratio breuibus reddenda erit. Solent plerumque praesides, quas defendentibus tribuunt, dissertationes ipsi elaborare, sic uero efficere, uti inique de illorum profectibus sentiant alii, quibus eorumdem studia aliunde nota non sunt. Mihi uero ea potissimum de caussa in publicum prodire uidentur iuuenes ornatissimi, ut specimen ipsi exantlatorum laborum exhibeant patronis, fautoribus, aliisque, quibuscum ipsis necessitudo quaedam intercedit. Quare ne ille interciperetur finis, tuam, non meam, exhibendam esse iudicaui dissertationem. Neque id mihi sumsissem, uti hinc inde quaedam abiicerem, nisi temporis angustia aliud imperasset. Appropinquabat nempe festus ille dies, quo uenerandus parens, cui multis me nominibus obstrictum profiteor, iubilaeum celebrare gamicum constituerat, et uti idem a te eodem die hic fieret, insta-

instabat. Quare quum typographus negaret, dissertationem, prouti tunc erat, constituto die praela relinquere posse, officii mei esse putaui, ut eamdem coarctarem, quo laetissimus ille dies et hic a te atque amicis iuste posset celebrari. Erit tibi in posterum occasio, omnia uberius deducendi, quae strictim hic exposita leguntur. Nihil iam reliquum est, quam uti consultissimo patri festum hunc diem ex animo gratuler, ardentissimisque a Deo T. O. contendam precibus, ut et in posterum auspicatissimum esse iubeat fortunatum illud parentum tuorum matrimonium. Eodem gratulandi animo et ad te, nobilissime Schmidti, accedo; adsit et in posterum summum Numen conatibus tuis, uti omnia tibi contingant ex uoto. Sic uale. Scrib. d. 8. Octobr. 1756.

VIRO IVVENI NOBILISSIMO AC PRAESTANTISSIMO
CANDIDATO IVRIS DIGNISSIMO

DOM. HENRICO OTTONI SCHMIDT,

BEROL.

S. P. D.

IOHANNES FRIDERICVS POLAC, D.

PROFESSOR IVRIS ET MATHES. O. P.

Qui in Academiis tanquam bonarum mentium domiciliis rationes suas rite subducunt, ad id ante omnia summa ope incumbere debent, ut animum, quousque virtutibus ad sui perfectionem maxime informari potest, mitem ac tractabilem efficiant; præetereaque eorum mens iis scientiarum generibus instruatur ac magis magisque perficiatur, quibus

in patriæ ſalutem, ad cuius ſpem ſuccreſcunt, digni evadant, qui tandem aliquando reipublicæ muneribus admoveantur, id quod meo quidem judicio eſt illud decantatum: *didiciſſe fideliter artes, emollit mores, nec ſinit eſſe feros.* Quum itaque Tu, digniſſime Dm. Candidate, ex quo Te in hanc Muſarnm ſedem contuliſti, per triennium et ultra, vitæ modeſtia ac morum ſuavitate omnium quibus innotuiſti laudem promeritus, cujus magna acceſſio fuit, quam ſibi comparavit Tua habilitas atque ſingularis chordas pulſandi facilitas, toties inter admirabiles et ſuaves Muſices concentus in conſpectum data; quoad doctrinæ Tuae acquiſitæque ſcientiæ autem dexteritatem, nunc publico quodam eruditionis ſpecimine, quam bene ſit collocatum vitæ academicæ tempus, omnibus comprobes; non potui Tibi publico hoc meo teſtimonio amicam ſuffragationem denegare. Diſcede ergo hinc bonis avibus, revertere in ſolatium ſpectatiſſimæ familiæ ad Conſultiſſimum Dominum Parentem, quem meo nomine ex antiqua amicitiæ noſtræ formula quam officioſiſſime ſalutabis; ego vero lætus cum Heinſio claudo:

O præſtans animi juvenis, cui carmina ſemper
Et citharæ cordi, dulces ante omnia Muſæ.

Vale. Dabam e Muſeo, die XXIV. Octobr. MDCCLVI.



NO-

✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠

NOBILISSIMO AC EXIMIO INGENIO PRAEDITO

H. O. SCHMIDT

S. P. D.

GOTTLOB SAMVEL NICOLAI

PROFESSOR PHILOSOPHIAE PVBL. ORD.

Tertium annum et quod excurrit in diſciplina noſtra vixiſti, ornatiſſime Schmidt, atque talem Te praeſtitiſti, ut longiorem tuam praeſentiam optarent, qui morum tuorum facilitate atque comitate inſigniter delectantur. In quorum numero me etiam eſſe eo lubentius publice profiteor, quo plus oblectamenti ex amico Tuo conſortio atque multiplici quibus condecoraris virtutum praeſtantia coepi. Etenim non ex eorum numero fuiſti, qui rudiorem vitam adamant, aut pravis indulgent convivis, ſed potius talem vixiſti vitam qualem illi ſibi eligunt, qui ſocietatem et doctrina et aetate profectiorum, prae aliis ſibi utilem eſſe cenſent. Quorum coniunctione Tu etiam ſaepius gaviſus es, ita ut non dubitare poſſim, quin etiam hocce vitae genus ad doctrinam Tuam augendam atque poliendam inſigniter fecerit. Iam in ſpecimine diſputationis concinne elaborato, et mox magis magiſque in publicum prodibis, atque ea, quae fideliter didiciſti in aliorum uſum utiliter convertes. Rem tuam age feliciter. Adſit tibi ſummum numen propitium et vota, quae pro ſalute atque incolumitate Tua voveo ardentiſſima rata habeat. Quumque ex omni fortuna Tua eximia laetitia occupatus ero, nec unquam aliquid omittam, quod ad conſuetudinem atque amicitiam noſtram etiam in abſentia colendam aliquid conferre poterit. Vale belliſſime. Dab. in Regia Viadrina d. XVI. Octob. cIↃIↃCCLVI.



Dein reger Fleiß, Dein kluges Wissen,
Dein Anstand in Gelehrsamkeit,
Der aller Beyfall hingerissen,
Berechnet heute seine Zeit.
Wie würdig seh ich den dem Vaterlande nüzzen,
Den nicht das Glück in Vorschlag bringt,
Nein! der es durch Verdienste zwingt,
Den Trieb der Dankbarkeit in ihm zu unterstüzzen.

Hiemit wünschet dem geschikten Herrn Candidaten alles glückliche Wohlergehen, Dessen ergebenster Freund und Diener.

C. F. Wernich.




VIRO HONORATISSIMO, AVCTORI DOCTISSIMO,
AMICO CARISSIMO
HENRICO OTTONI SCHMIDT, I. V. C.
S. P. D.
CAROLVS LVDOVICVS RVDOLPHI
I. V. C.
GRYPH. POMER.

Pellitur e medio sapientia. Vi geritur res.
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.
Haud doctis dictis certantes, sed maledictis,
Miscent inter sese inimicitias agitantes.
Non ex iure manum consertum, sed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solida vi.
Ennius oct. annal.

Dicto hocce Romani solum victitarunt? Ad nostra tempora adplicari potest? Huius aeui status nonne iubere suadet? Inter arma silent leges. Horrida vox. Bello, ferro,

ferro, ſolida vi atque vera Romanorum tempore omnia gerebantur. Haud legitimis agebatur actionibus. Ex iure manus minime conſerebantur. Vis bellica; vis cruenta, prima erat ratio. *O mores!* An et hodie? Inter arma ſilent leges? Nego. Arma ultimam Regum rationem conſtituunt. Subditorum nequaquam. Doctis dictis certant, non maledictis. Omnia ex iure fiunt. Aſt horridus miles amatur? Hoſtibus horridus miles. Patriae ſuauis. Iura armaque ſunt connexa. Rege noſtro clementiſſimo e medio non pellitur ſapientia. Vi contra hoſtes res geritur. Friderico Magno bonus orator placet. Spernuntur cauſidici. Inuictiſſimus amat iuſtitiam. *O fauſtiſſima tempora!* Sequere, Amice, Patrem Patriae. Dilige forum. Militem ne contemne. Conſecra Te Themidi. Sapientiam cole. Summum Tibi Numen larga dabit. Parentum Tuorum ſolatium exiſtes. Amicorum ſis gaudium. Reipublicae Litterariae ornamentum Te praebeas. Opto. Vale. Dab. Francofurti cis Viadrum, die XVII. Calendarum Novembris A. R. S. cIↄIↄccLVI.





Murmura perrumpunt terram de ſorte Boruſſûm
Quid Tu? cum Pruſſus, vincere numne places?
Certes: nam foedus ſanxit cum Marte Minerva
Vt Pruſſis *ſoli a partibus eſſe velint.*
Adſcendas cathedram: Sic digna trophaea reduces
Atque Tuae *fies ſortis et ipſe* FABER.
Ingenio polles hoſtes ſubſternere et arte.
Accingas. Pugna. Gloria calcar habet.

Iulius Albertus Rudolphi, LL. Cult.
Gryphiberg. Pom.



Welche Ströme einer selgen Lust
Flößt die Tugend in des Edlen Brust,
Und umgiebt die Seele mit Entzücken.
Nur sein Nahme schläft uns unbekannt,
Wenn nicht Gönner, Wissenschaft und Stand
Diesen ächten Sohn der Tugend schmücken.
Freund, wie göttlich ist ein solches Bild!
Tugend hat **Dein** Herz schon längst erfüllt,
Eile jetzt die Lorbern zu erstreiten,
Die **Dir** einst Unsterblichkeit bereiten.

Dieses schrieb, um bei dem würdgen Herrn Verfasser dieser gelehrten Streitschrift sein Andenken zu erhalten

F. W. Consbruch,
B. R. B.



NOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE
HVIVS DISSERTATIONIS AVCTORI
S. P. D.
I. G. WERPHVL,
OPPONENS.

Audax iam prodis in publicum, *Vir Iuuenis Nobilissime!* rationem studiorum *Tuorum* redditurus. Laudandum sane hoc est et grati animi, quod sic fautoribus atque patronis industriae exhibeas monumentum. Eo ipso enim publice ostendis, dignum illos beneuolentia, dignum fauore suo esse amplexos. Gratulor ideoque *Tibi* vehementer hocce eruditionis specimen. Percipe tandem iustos il-

los

los laborum *Tuorum* fructus. Adsit *Tibi* semper Deus T. O. M., *Tibi*que ac per *Te* plurimis optima quaeuis contingere iubeat. Et si denique ad decretos aliquando perueneris honores, ne mei sis immemor, etiam atque etiam rogo oroque. Vale. Dabam Francof. ad Viadr. d. XXIV Octobr. cIↄIↄccLVI.

NOBILISSIMO ATQVE EXIMIE DOCTO
AVCTORI
S. P. D.
I. G. SCHWEDERVS,
OPPONENS.

Fautores ac amici, *Nobilissime*, *Tibi* quaeuis felicia apprecantur. Posteriorum votis et mea jungam, sine. Sis fortunatus, ac vivas, ut nescius sis tristis vitae. Omnia, quae *Tibi* prospere cedunt, maxime mihi erunt voluptati. Quam voluptatem quin capturus sim, eo minus dubito, quo magis mihi certum est, ut litteras ames. Amans vero studiorum semper habet quo fugiat ad salutem. Vale. Dabam Francofurti cis Viadrum d. XVI. Calend. Novemb. cIↄIↄccLVI.

VIRO PRAECLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
HENRICO OTTONI SCHMIDT
S. P. D.
REINHARDVS ARNOLDVS LECKE,
OPPONENS.

Quantane laude es dignus, *Amice suauissime!* qui labores Tuos academicos optime finire intendis? Exhibes hunc in finem specimen hocce scientiae legitimae, quo ipso cui-



Welche Ströme einer selgen Lust
Flößt die Tugend in des Edlen Brust,
Und umgiebt die Seele mit Entzücken.
Nur sein Nahme schläft uns unbekannt,
Wenn nicht Gönner, Wissenschaft und Stand
Diesen ächten Sohn der Tugend schmücken.
Freund, wie göttlich ist ein solches Bild!
Tugend hat **Dein** Herz schon längst erfüllt,
Eile jetzt die Lorbern zu erstreiten,
Die **Dir** einst Unsterblichkeit bereiten.

Dieses schrieb, um bei dem würdgen Herrn Verfasser dieser gelehrten Streitschrift sein Andenken zu erhalten

F. W. Consbruch,
B. R. B.



NOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE

HVIVS DISSERTATIONIS AVCTORI

S. P. D.

I. G. WERPHVL,

OPPONENS.

Audax iam prodis in publicum, *Vir Iuuenis Nobilissime!* rationem studiorum *Tuorum* redditurus. Laudandum sane hoc est et grati animi, quod sic fautoribus atque patronis industriae exhibeas monumentum. Eo ipso enim publice ostendis, dignum illos beneuolentia, dignum fauore suo esse amplexos. Gratulor ideoque *Tibi* vehementer hocce eruditionis specimen. Percipe tandem iustos il-

los

los laborum *Tuorum* fructus. Adfit *Tibi* femper Deus T. O. M., *Tibi*que ac per *Te* plurimis optima quaeuis contingere iubeat. Et fi denique ad decretos aliquando perueneris honores, ne mei fis immemor, etiam atque etiam rogo oroque. Vale. Dabam Francof. ad Viadr. d. XXIV Octobr. cIↃIↃccLVI.

✲ ✲

NOBILISSIMO ATQVE EXIMIE DOCTO

AVCTORI

S. P. D.

I. G. SCHWEDERVS,

OPPONENS.

Fautores ac amici, *Nobiliffime*, *Tibi* quaeuis felicia apprecantur. Pofteriorum votis et mea jungam, fine. Sis fortunatus, ac vivas, ut nefcius fis triftis vitae. Omnia, quae *Tibi* profpere cedunt, maxime mihi erunt voluptati. Quam voluptatem quin capturus fim, eo minus dubito, quo magis mihi certum eft, ut litteras ames. Amans vero ftudiorum femper habet quo fugiat ad falutem. Vale. Dabam Francofurti cis Viadrum d. XVI. Calend. Novemb. cIↃIↃccLVI.

VIRO PRAECLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

HENRICO OTTONI SCHMIDT

S. P. D.


REINHARDVS ARNOLDVS LECKE,

OPPONENS.

Quantane laude es dignus, *Amice fuauiffime!* qui labores Tuos academicos optime finire intendis? Exhibes hunc in finem fpecimen hocce fcientiae legitimae, quo ipfo

cui-

cuique probas singularem Tuam iuris feudalis cognitionem; imo miror iudicium, quo thema tam vtile elegisti, ideoque non dubito, fore opus hocce omnibus omnino legum cultoribus gratum atque acceptum. Quotquot enim sint Doctorum, qui suis scriptis successionem feudalem illustrarunt, casus tamen istos, quibus feudum ad heredes feudales non transit accurate collectos, haud quisquam inueniet. Non possum igitur, quin; non quia mos ita fert, sed quia iusta mihi est gratulandi caussa; ex animo gratuler, et, quum spartam opponentis in me detuleris, summa voluptate desideriis Tuis iam satisfacturus. Attamen certamen nostrum erit amicum. Quod superest, fausta quaeuis Tibi apprecor, beneuolamque mei memoriam commendo. Vale igitur, mihique faue. Scribebam Francofurti ad Viadrum, die XXIV Octobris MDCCLVI.



ERRATA.

Pag. 2. lin. 8. *Germani*, l. *Germanici*. pag. 8. lin. 2. *immediata*, l. *immediate*. pag. ead. l. 14. *cap.* 27. l. *cap.* 87. pag. 9. lin. 7. *discendentes*, l. *descendentes*. pag ead. lin. 24. *legitimorum*, l. *legitimatorum*. pag. 10. lin. 4. *masculi*, l. *masculos*. pag. ead. lin. 7. *natusales*, l. *naturales*. lin. 8. l. *spurios*, *adulterinos*, *atque incestuosos*. pag. 11. lin. 15. *tesutare*, l. *refutare*. pag. 15. lin. 30. 1672. l. 1276. pag. 21. lin. 19. *instituerint*, l. *instituerit*.



cognitionem;
egisti, ideoque
no legum cul-
enim sint Do-
em illustrarunt,
s feudales non
ueriet. Non
, sed quia iusta
et, quum spar-
luptate deside-
en nostrum erit
apprecor, be-
Vale igitur, mi-
rum, die XXIV



pag. 8. lin. 2.
27. l. cap. 87.
g ead. lin. 24.
masculi, l. ma-
lin. 8. l. spu-
. lin. 15. te-
. 1276. pag.

cuique probas singularem Tuam iuris feudalis cognitionem; imo miror iudicium, quo thema tam vtile elegisti, ideoque non dubito, fore opus hocce omnibus omnino legum cultoribus gratum atque acceptum. Quotquot enim sint Doctorum, qui suis scriptis successionem feudalem illustrarunt, casus tamen istos, quibus feudum ad heredes feudales non transit accurate collectos, haud quisquam inueniet. Non possum igitur, quin; non quia mos ita fert, sed quia iusta mihi est gratulandi caussa; ex animo gratuler, et, quum spartam opponentis in me detuleris, summa voluptate desideriis Tuis iam satisfacturus. Attamen certamen nostrum erit amicum. Quod superest, fausta quaeuis Tibi apprecor, beneuolamque mei memoriam commendo. Vale igitur, mihique faue. Scribebam Francofurti ad Viadrum, die XXIV Octobris MDCCLVI.



ERRATA.

Pag. 2. lin. 8. *Germani*, l. *Germanici*. pag. 8. lin. 2. *immediata*, l. *immediate*. pag. ead. l. 14. *cap.* 27. l. *cap.* 87. pag. 9. lin. 7. *discendentes*, l. *descendentes*. pag ead. lin. 24. *legitimorum*, l. *legitimatorum*. pag. 10. lin. 4. *masculi*, l. *masculos*. pag. ead. lin. 7. *natusales*, l. *naturales*. lin. 8. l. *spurios*, *adulterinos*, *atque incestuosos*. pag. 11. lin. 15. *tefutare*, l. *refutare*. pag. 15. lin. 30. 1672. l. 1276. pag. 21. lin. 19. *instituerint*, l. *instituerit*.




cognitionem;
egisti, ideoque
no legum cul-
enim sint Do-
em illustrarunt,
s feudales non
ueniet. Non
, sed quia iusta
et, quum spar-
luptate deside-
en nostrum erit
i apprecor, be-
Vale igitur, mi-
rum, die XXIV



pag. 8. lin. 2.
27. l. *cap*. 87.
g ead. lin. 24.
masculi, l. *ma-*
lin. 8. l. *spu-*
. lin. 15. *te-*
. 1276. pag.

cuique probas ſingularem Tuam iuris feudalis cognitionem; imo miror iudicium, quo thema tam vtile elegiſti, ideoque non dubito, fore opus hocce omnibus omnino legum cultoribus gratum atque acceptum. Quotquot enim ſint Doctorum, qui ſuis ſcriptis ſucceſſionem feudalem illuſtrarunt, caſus tamen iſtos, quibus feudum ad heredes feudales non tranſit accurate collectos, haud quisquam inueniet. Non poſſum igitur, quin; non quia mos ita fert, ſed quia iuſta mihi eſt gratulandi cauſſa; ex animo gratuler, et, quum ſpartam opponentis in me detuleris, ſumma voluptate deſideriis Tuis iam ſatisfacturus. Attamen certamen noſtrum erit amicum. Quod ſupereſt, fauſta quaeuis Tibi apprecor, beneuolamque mei memoriam commendo. Vale igitur, mihique faue. Scribebam Francofurti ad Viadrum, die XXIV Octobris MDCCLVI.



ERRATA.

Pag. 2. lin. 8. *Germani*, l. *Germanici.* pag. 8. lin. 2. *immediata*, l. *immediate.* pag. ead. l. 14. *cap.* 27. l. *cap.* 87. pag. 9. lin. 7. *diſcendentes*, l. *deſcendentes.* pag ead. lin. 24. *legitimorum*, l. *legitimatorum.* pag. 10. lin. 4. *maſculi*, l. *maſculos.* pag. ead. lin. 7. *natuſales*, l. *naturales.* lin. 8. l. *ſpurios, adulterinos, atque inceſtuoſos.* pag. 11. lin. 15. *teſutare*, l. *refutare.* pag. 15. lin. 30. 1672. l. 1276. pag. 21. lin. 19. *inſtituerint*, l. *inſtituerit.*

